Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 231
Quelle:
Copyright:



*phorum* &c. In eodem Prooemio legas: *Hunc* (Librum) *Rabanus exponit*. Itaque hoc junior est Commentator noster, et quidem tribus Seculis; *Hugonis* enim Card. a *S. Caro* dicti O. P. qui a. 1262. obiit, *Postillam* in Επιτομην contraxit, ut Edit. *Lugdun.* 1645. T. III. *fol* 171. f. conferenti patebit. Sistit vero in illo: *Bonum facientes non deficiamus, metemus enim tempore suo non deficientes;* editione ulterius aliquantum procurrente.

II. *fol.* 57. Expositio sequitur Libri *Sapientiae*, cujus Praeloquium simpliciter rubro notatur: *In librum Salemonis*, et infit: *Quecumque scripta sunt, ad nostram doctrinam et utilitatem scripta sunt. Aperiat ergo dominus nobis intelligentiam paruulisque petentibus et esurientibus frangat panem sacre scripture* &c. Agit dein de Libris non canonicis, sed utilibus *ad morum instructionem*, inter quos Nostrum censet a quibusdam *Salomoni* tributum. *Sed augustinus se diu deceptum dicit hoc errore.* (Ubinam? In *Siracidem* inclinasse memini, non vero in *Salomonem.*) *Jeronimus autem dicit. hunc librum non esse salomonis sed philonis.* Subdit mox: *Huius libri expositionem bellator nomine presbiter quidam VIII. uoluminibus comprehendit. qui huius Libri expositor fuit. — Sed utrum greco eloquio expositus fuerit, non legitur.* Ad quae observo, non superesse jam *Bellatoris* Commentaria, quae non, ut *Tritbemio n.* 268. visum, Seculo IX. nec, quod a *Sigeberto Gemblac.* c. 88. mutuatus est, Libris VII. scripta sunt, verum Seculo VI. et Libris VIII. testante *Cassiodoro* Presbyteri illius amico, qui ejus Εξμηνευτικα enumerat *Capp.* 1. 5. et 6. *de Institut. divinar. Literar. Cassiodori* verba repetit *Rabanus Maur.* in *Prologo* ad sua in *Sapientiam* Commentaria edit. *Colon.* 1626. T. III. p. 362. *Cuius voluminis expositionem presbyter Bellator octo libris se assumpsisse testatus est. De quo Pater Augustinus et Sanctus Ambrosius homiliarum nomine nonnulla dixerunt. De quo*, id est, de *Volumine Sapientiae*, non vero de *Bellatore*, qui secus ad *Ambrosii* aevum proveheretur. Quod de graeca Expositione *Sapientiae* addit Anonymus noster, video tamen T. II. *Codd. MSS. Angl.* inter Codices *Thomae Gale* p. 186. n. 5895. adferri aliquam *Hesychii*; at in hunc inter plures ejusdem nominis digitum intendere difficile est. Neque expeditius, Autorem praesentis Expositionis designare. Incipit ille: *Diligite iusticiam &c. Volens nos auctor inuitare ad sapientiam primo commendat iusticiam, de qua ysaias. Qui non didicerit iusticiam, non faciet ueritatem super terram* &c. Et finit: *In omni loco assistens eis. Multe tribulationes iustorum et de omnibus liberabit eos dominus.* Non ita *Strabus*, aut *Hugo a S. Caro*, aut *Nic. de Lyra*, quos tamen Noster, ut e variis conjecto, novisse videtur.

CLII.